



F c
2132



He. 4



SOLO DEO PRÆSIDE
PRUDENTIA
CIVILIS,
A
PHILIPPO ERNESTO,
COMITE SCHAUMBURGI,
LIPPIÆ ET STERNBERGÆ
ACADEMIÆ MARPURGENSIS
II. RECTORE

Eidem jam valedicturo

delineata

&

Magnifici atq; Amplissimi
SENATUS ACADEMICI,

Publicæ ventilationi

In Auditorio Fctorum

exposita

Ad diem Martii 1677.

MARPURGI CATTORUM
Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typog.
Anno MDCLXXVII.

D.S.

PRÆFATIO.



uanquam novæ cu-
jusdam singularitatis notam
me incurrisse facilè judicaverit,
quisquis susceptæ defensionis
gravitatem, simul & ætatis te-
neritatem, ingeniique qualis
qualis mei imbecillitatem con-
sideraverit: attamen veniam quoque indubitata
omninò mihi concesserit, quicunque non nisi stu-
diò obsequendi ei, cui obsequium debeo, PAREN-
TI, inquam, OPTIMO: minimè verò captandæ va-
næ gloriolæ causâ, hoc operis me suscepisse rescive-
rit. Is imitatus Tobiam Naphthalitam, qui, cum jam
seniò confectus & de excessu suo, plus quam de vitæ
longioris spe sollicitus, filium suum Tobiam Junio-
rem in Mediam ablegaret, saluberrima ei vitæ moni-
ta & præcepta præscripsit: *Fili, inquit, honora
patrem, & ne despicias matrem tuam. Omnibus
autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, &
cave ne aliquando peccato consentias, & præter-
mittas præcepta Domini Dei nostri. Ex substantia
tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam
ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec à te avertatur
facies Domini. Attende tibi fili mi ab omni forni-
catione. Superbiam nunquam in tuo sensu aut in
tuo*



tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Consilium semper à sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant, pari storgâ & affectione mihi filio suo ad almam hanc Academiam (& si Supremo Numini ita visum fuerit, mox etiam ad alias) tanquam ad bonarum artium, optimarumque virtutum mercatum proficiscenti, multivaria, eaque sanctissima vitæ formandæ monita ac præcepta, paterno benignoque affectu inculcavit : Ego vicissim præcipuam felicitatis & gloriæ meæ partem in Tobia Junioris responso

Faciam mi pater reposui: atque quemadmodum illi qui vel iter aliquod tardiùs ingressi, vel in eo à semita aliquantulum deflexerunt, ut tamen ad locum destinatum perveniant, acceleratione itineris conantur cunctationes antecedentes compensare: ita in quadriennali ferè, quamdiu in Academia hac versatus sum, studiorum curriculo, antegressas moras, quantum per complures alias, sorte meâ non indignas occupationes & exercitia licuit, vincere studui, secutusque in hoc illud Senecæ. *Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat,* unius Prickii V. J. D. & Professoris P. in alma hac Academia, hospitis

spiritus mei per dilecti operam mihi vindicavi, jactisq;
ad normam, in informando SERENISSIMO HAS-
SIÆ PRINCIPE WILHELMO VII. gloriosæ nunc
memoriæ olim ad probatam, Ephoriq; mei suasu ab
ipso communicatam, primis Latinæ linguæ funda-
mentis, porrò ad altiora progredi cœpi: in quibus
non equidem præclara hucusque, ast ætati meæ con-
venientia, & ad graviora & ardua viam sternentia
præstare licuit: quod qualicumque, quantumvis le-
viori specimine comprobaturus, expectationique
paternæ, priusquam ex inlyto hoc Hassiæ Palladio
discedam, pro virium modulo satisfactorus, hodie
cathedram publicam conscendo, de PRUDENTIA
CIVILI, utpote in qua, veluti in involucro, benè bea-
tèque vivendi decreta convelantur, quæ cuique mor-
talium per omnes status, gradus, dignitates, ordines
& conditiones fidelem officii sui administrationem
dictitant, cum Celeberrimis Academiae Proceribus
differturus. Dirigat fons luminis & sapientiæ sermo-
nes gressusq; meos, ut piissimum GRATIOSISSIMI
DOMINI PARENTIS votum in omnibus com-
pleam, ipsiusque venerandi canis, quicquid in religio-
ne sanctum, in moribus intaminatum, in virtutibus
solidum, in me conspiciant: sinque Deo honori, Ec-
clesiæ orthodoxæ splendori, Illustri nostræ Fa-
miliæ incremento, Patriæ commodo,
subditis patrociniis.





I. N. S. S. T.

DE PRUDENTIA CIVILI

THESIS I.



Hilosophiæ, quæ est divinarum
 atque humanarum rerum noticia, duæ
 vulgò constituuntur partes, *Speculativa*
 & *Practica*: *Illa* in sola cognitione ver-
 satur, & in ea acquisita conquiescit. *Hæc*
 hominum actiones ad rectæ rationis
 normam dirigit; ita dicta vel ab objecto,
 cum versetur circa actiones hominum: vel à fine, qui est
 praxis, seu actio: siquidem ideo nobilissimam hanc Philo-
 sophiæ partem addiscimus, non ut tantum sciamus, sed ut
 secundum eam agamus: non ut lateat in pectore instar the-
 sauri absconditi, sed ut inserviat Reipublicæ. Estque ea
 rursus duplex: *Absoluta*, quæ *Ethica* dicitur, & *Relata*:
 idq; vel ad Rempublicam, ut *Politica*, vel ad Familiam, ut
Oeconomica.

THES. II.

Ethica universalia principia totius doctrinæ civilis ex-
 plicat. *Politica* autem & *Oeconomica* præceptorum Ethico-
 rum ad praxin accommodandorum rationem ac modum
 docent. Ex qua consideratione apparet *Ethicam*, *Politi-*
cam & *Oeconomicam* non esse distinctas disciplinas, sed unius
 Disciplinæ, quæ PRUDENTIA CIVILIS dicitur, distin-
 ctas

A

ctas



Etas partes. Ordine autem naturæ ac proinde doctrinæ Ethica meritò prima inter disciplinas practicas habetur, quippe quæ continet principia & quasi fundamenta reliquarum: agitur enim de Summo Bono seu ultimo hominis fine, de affectibus animi, de vitiis & virtutibus, earumque actionibus, sine quarum rerum cognitione nec Politica nec Oeconomica stare possunt.

THES. III.

Est igitur Ethica, definiente Itero, Prudentia hominem virtutibus seu bonis moribus informans, ut civili felicitate fruatur. *Generis loco ponitur Prudentia*, quæ est habitus cum rectâ ratione activus, circa ea quæ homini bona vel mala sunt. *Arist. 6. Ethic. c. 5.* *Differentia à subjecto & fine est petita.* Illud est homo bonis moribus informandus: Hic est *Civilis Felicitas* sive *Summum Bonum*; non tamen ita summum, ut ultra illud nullum reperiat, quale est gloria Dei, ad quam omnes res sunt conditæ, quæque est ultimus omnium actionum humanarum finis, de quo Apostolus: sive ederitis, sive biberitis omnia facite ad gloriam Dei. Hoc summum bonum, huncque finem ultimum assequimur, cum Deum rectè, id est sicut se verbo suo patefecit, in hac vitâ colimus, ubi requiritur primò ut Deum agnoscamus esse verum illum solum Deum, & quem misit Jesum Christum *Ioan. 17. v. 3.* ad cuius cognitionem homines, nisi Spiritu Sancto illuminentur, pervenire nullo modo possunt, cum sit donum Dei. Sed intelligimus hîc *Summum Bonum hominis civilis*, seu in civili hac societate considerati.

THES. IV.

Summum hoc Bonum juxta Arist. I. Eth. c. 6. est *operatio animæ rationalis, secundum virtutem optimam & perfectissimam,*

simam, in vita perfecta. Genus est operatio: quia unius cuiusque rei bonitas & perfectio ex operatione ejus aestimatur; sic opifices, artifices & singula corporis humani membra tum demum bona & perfecta dicuntur, quando rectè agunt, & munere suo debite funguntur. *Differentia* sumitur 1. à *causa efficiente*: quòd sit operatio *animæ rationalis*. 2. à *forma*: quòd sit operatio *secundum virtutem optimam & perfectissimam*, quia in S.B. non sufficit qualiscunq; virtutis præsentia, sed requiritur etiam ejusdem excellentia, quanta quidem humanis viribus potest comparari. 3. à *subjecto: in vita perfecta.* Quibus verbis triplex indigitatur in subjecto perfectio. 1. *ætatis* quæ sit matura & ad minimum juvenilis. 2. *Judicii & rationis*, quò pertinet rerum experientia & solida judicii constantia. 3. *Temporis & actionis*: Sicut enim una hirundo non facit ver; ita una actio non parit felicitatem.

THES. V.

Patet hinc S.B. non consistere I. in *Voluptate*: Quia debet esse bonum proprium: Voluptas verò est communis homini cum bestiis. 2. debet hominem perficere & meliorem reddere: Voluptas verò facit eundem deterio-rem, servilem, & indignum hominum ingenuorum commercio. Neque II. in *Honore*: Quia non est bonum proprium, nec stabile, siquidem pendet ab incerto hominum judicio & arbitrio: non propter se expetibile, sed propter virtutem, unde etiam dicitur præmium virtutis, id quod patet ex *veri honoris* notis, quarum tres solent assignari, ut deferatur 1. à *notis*, cum ignoti nequeant verum perhibere de aliquo testimonium. 2. à *prudentibus* & qui judicare dextrè de virtute alicujus possunt. 3. *propter virtutem*: Scelus enim non est verus aut jure competens, sed adulatorius

A 2

honor.

honor. Nec III, in *Divitiis*: Quia non propter se expectantur, sed propter ulum, suntque instabiles & fortunæ casibus obnoxia, adde quod sæpè per fas & nefas sint acquisita, reddantque homines petulantes & superbos. Nec IV, præter operationem jam dictam, in ullo eorum, quorum suo tempore Varro trecenta collegit opinionum divortia. *Augustin. lib. 19. de civit. Dei.*

THES. VI.

Perspecto S. B. tanquam fine Ethices, antequam de mediis ejus consequendi agamus, de principiis actionum humanarum pauca dicenda sunt. Ea 4. numeramus, suntque 1. *Scientia sive Conscientia*, 2. *Voluntas*, 3. *Consultatio*, 4. *Electio*.

THES. VII.

Conscientia est *judicium mentis bonum aut malum aliquod esse dicentis*: Estque quadruplex. *Recta*, *Erronea*, *Probabilis*, *Dubia*. Etsi enim posterior minus propriè conscientia nomen meretur, tamen quia usus obtinet, ut etiam dubitatio & hæsitantia intellectûs interdum *judicium intellectûs* appelletur, propterea etiam conscientia aliqua *dubia* vocatur. *Recta* est, quæ id faciendum aut omittendum dicat quod faciendum aut omittendum omnino est. Hæc hominem simpliciter & sine omni exceptione obligat, ut secundum eam agat. Unde peccatum quod contra eam committitur reddit *inexcusabiles*, *Rom. 1. v. 20.*

THES. VIII.

Conscientia Erronea est, quæ id faciendum vel omittendum judicat, quod faciendum aut omittendum non est. *Erronea* dicitur ab *Errore*, qui est *vincibilis* vel *invincibilis*: Ille oritur ab ignorantia vincibili: Hic ab invincibili. Estque præterea vel *de re per se bona*, aut *mala*, vel *indifferenti*.

renti. Ille quando aliquid malum aut illicitum esse putatur, quod tamen per se bonum est: ut si quis putet Philosophiæ studium non convenire Magnatibus, cum tamen maximè conveniat, earumque dignitatem mirificè exornet. *Iste*, quando id bonum aut licitum esse existimatur quod per se malum est. Ut si quis persuasus sit, Magnatibus quidvis agere integrum esse, cum tamen peccata illorum tantò majora sint, quantò major est peccantium majestas, juxta illud:

*Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.*

Hic, quando quis credit rem bonam aut malam esse, quæ indifferens est: ut si quis existimet coelibem vitam esse malam, cum tamen indifferens sit.

THES. IX.

Conscientia Erronea si aliquid faciendum aut omittendum dicit, in re per se mala, peccat tam qui juxta eam, quàm qui contra agit. Peccat qui juxta eam agit, quia errorem etiam si possit non vult vincere aut deponere: atque ita studio vult errare, & per errorem peccare. Nec minus peccat, qui contra eam agit, quia quantum in se est vult agere contra legem Dei, aut Magistratûs, quia illud quod agit, prohibitum esse firmiter statuit. Ut si quis persuasus, idolum aliquod esse verum Deum, eòque ex præcepto divino adorandum: ille sive adoret sive non adoret peccat. Peccat si adoret, quia quanquam certò statuatur, idolum illud esse verum Deum, eòque adorandum: tamen error ille est, vincibilis, & de re per se mala: quivis enim hoc facile potest cognoscere, idolum non esse Deum, & tale quid adorare, esse rem per se malam. Peccat verò etiam qui

A 3

non

non adorat, quia ut adoretur lege divina præceptum putat, & quantum in se est, vult agere contra legem.

THES. X.

Si Conscientia Erronea in re adiaphora ac indifferenti actionem aliquam vel suscipiendam vel omittendam dicit, tum qui adversus istam Conscientiam Erroneam agit, peccat, non item qui secundum eam: e.g. Si Judæus firmiter persuasus esu carniū suillarum (quibus vesci res ex se est indifferens) sibi Lege divinâ interdictum esse, huic suæ Conscientiæ licet erroneæ obsecutus iis abstineat, non peccat, si contra hujus Conscientiæ Erroneæ dictamen comedat, peccat.

THES. XI.

Conscientia Probabilis est, cujus iudicium probabile est, & ratione non quidem certâ attamen haud contemnendâ, autoritate nimirum virorum gravium, vel rei, de quâ agitur, peritorum nititur. Ea convenit cum Conscientia Recta, quòd recte iudicat: Sed differt ab eadem, quia certitudinem non habet ut illa, sed probabilitatem tantum, cum formidine oppositi conjunctam, In hac præstat eligere quod tutius, non quod probabilius. Sic sæpe Medicus probabiliori nititur morbi depellendi opinione, ferrum adhibendo, sed non tutiore: rectè ergo facit si eo abstineat, & pharmacis utatur.

THES. XII.

Conscientia Dubia vocatur, quando mens, cum iudicandum est num actio aliqua licita sit vel illicita, neutri parti assentitur, sed ambigit atque dubitat, utri assentiendum sit, quia vel in neutram, vel paria pro utraque occurrunt argumenta. Hæc Conscientiâ nihil est agendum.

Qui

Qui enim agit quod bene an perperam fiat, ignorat, æque in malum ac in bonum propendet, & num rectè vel pravè operetur, num legem observet vel violet, num Deum offendat vel non, perinde æstimat. Quod utique grave est peccatum. Qui enim dubitat si ederit, jam condemnatus est, inquit Apostolus, *Rom. 14. v. ult.*

THES. XIII.

Voluntas est boni seu veri seu apparentis ab intellectu ostensi appetitio. Ejus affectio est libertas, quæ non consistit in indifferentia ad utrumque oppositum, ut homo vel positus omnibus ad agendum requisitis possit agere & non agere, quam vocant *libertatem contradictionis sive exercitii*, vel ita agere possit hoc v. g. bonum, ut etiam possit agere contrarium, scilicet malum, quam dicunt *libertatem contrarietatis sive specificationis*. Siquidem quoad prius homo sic esset independens, & Consilia Dei ex ipsius arbitrio suspenderentur, quod est absurdum. Quoad posterius, hoc posito, nec Deus nec Angeli essent agentia libera, quod falsissimum. Est enim Deus, *Agens*, si ullum est *liberum*, qui & liberrimè agit quotiescunq; agit, & quid, & quousque. Idemq; ita bonus est, & agendo ita benè tantum agit, ut non possit agere malè. Ad Angelos si respiciamus sive bonos sive malos, sunt illi in sua conditione hætenus firmati, ut eâ excidere, malèque agere non possint. Hi adeo sunt peccatis immerfi, ut omne ipsorum agere sit malè agere, & necessariò malè. Quod autem à libertate abesse potest, in eo non consistit ejus ratio formalis. Ast verò, uti jam demonstratum est, indifferentia à libertate abesse potest, Ergo in indifferentia non consistit libertatis ratio formalis.

THES.

THES. XIV.

Ne tamen omnis libero arbitrio indifferentia præci-
datur, distinguimus inter indifferentiam in *sensu composito*,
& in *sensu diviso* acceptam, illam, quam & *potentiam simul-*
tatis vocant, omninò negamus, contradictionemq; , impli-
care dicimus, *posse eodem tempore simul operari, & non operari.*
Hanc *simultatem potentia aliis dictam*, quâ cum aliquid o-
peramur non operandi, vel etiam aliud operandi, non si-
mul sed pro diversitate temporis potentiam habemus, ul-
trò admittimus. Formalem autem libertatis (cum qua
necessitatem optimè consociari posse statuimus) ratio-
nem in allubescencia, sive spontaneitate cum ratione col-
locamus.

THES. XV.

Consultatio sive deliberatio est actus mentis, quò
inquirimus in media ad finem perducentia. Modus & or-
do in consultatione observandus pendet à consideratio-
ne *principii, mediù & finis*: In *principio Consultationis* duo
sunt observanda: 1. ut si res magna sit & ardua, Consilia-
rios adhibeamus, nostris viribus diffidentes: 2. ut statim
in principio consultationis certum finem constituamus, ad
quem, tanquam scopum tota consultatio dirigatur. *Arist.*
3. Eth. 3. Licet enim finis ille sit ultimum in consecutione,
tamen primum debet esse in intentione. De *Mediis* duo
potissimum consideranda; primò, per quæ media possi-
mus finem illum consequi, utrùm illa sint facilia, honesta,
possibilia: an contrà: Deinde quomodo illis mediis sit
utendum. In *fine* attendendum est, num ea, de quibus
deliberamus, sint possibilia an impossibilia i. e. utrùm per
nos aut nostros effici, vel non effici possint.

THES.

THES. XVI.

Sequitur tandem Electio, sive prozeleis, quæ est earum rerum, quæ in nostra sunt potestate, ex consultatione profecta appetitio *Arist. 3. Eth. 2.* Unde liquet quando bruta animalia hoc quàm illo pabulo magis delectantur, adeoque hoc præ illo eligere videntur, non tamen eam esse electionem propriè dictam, cum non sit appetitio ex prævia deliberatione, quæ præsupponit iudicium mentis, quod in bruta non cadit, sed ex instinctu naturali profecta. Colligi itaque ex jam dictis potest, quibus gradibus in actionibus nostris, ne temerè & imprudenter quid agamus, progrediendum sit: Primus gradus est *cognitio* sive *notitia* rei quam agendam nobis proponimus; Cum sine cognitione nulla sit appetitio. Hanc subsequitur *voluntas* excitata ab intellectu. Hanc excipit *Consultatio*, quâ deliberamus de medijs. Deinde post sufficientem rei & medijs discursionem, sequitur *Electio*. Tandem ipsa actio, cum, quæ cognovimus, volumus, deliberavimus, elegimus, effectui mandamus.

THES. XVII.

Exposito Fine & Objecto, tandem accedimus ad media, ad finem propositum perducentia. Hoc enim *caput Philosophiæ moralis est, ut scias quibus ad vitam beatam perveniri rationibus possit*: ait Apulejus: Quia autem finis, ut patuit, est actio virtutis, medium, quo finem istum consequamur, non aliud esse potest quam virtus, quæ cum sit duplex intellectualis & moralis, de hac primùm acturi eam definimus, quòd sit *Habitus animi electivus, in mediocritate consistens, quæ ad nos est, ratione definita*: Cujus species cum potissimas delibare animum induxerimus, earumq; aliæ nos dirigant in ordine ad nosmetipsos, alia sic

B

in

in ordine ad alios, Rursusque quæ nos respiciunt in ordine ad nosmet ipsos, vel dirigant *affectus*, cujusmodi sunt *Fortitudo* circa metum. *Temperantia* circa desiderium voluptatum. *Liberalitas* & *Magnificentia* circa desiderium divitiarum. *Modestia* & *Magnanimitas* circa desiderium honorum. *Mansuetudo* circa iram. Vel dirigant *conversacionem*, respicientes in ea vel jucunditatem, ut *Humanitas* in rebus seriis, & *urbanitas* in jocosis; vel *veritatem*, ut *veracitas*. Tandemque ea, quæ in ordine ad alios nos dirigit, sit *justitia*. Ordinem hunc servaturi à Fortitudine initium faciemus.

THES. XVIII.

Est autem *Fortitudo* virtus moralis, quæ mediocritatem servat in periculis honestatis gratiâ perferendis & adeundis. *Aristot.* 3. *Eth.* 7. *Objectum* ejus, ut & cæterarum virtutum moralium est *Internum* atque *Externum*. Illud sunt *affectus* in homine moderandi; quales hic sunt *metus* & *fiducia*, hoc verò sunt res ipsæ quæ metum & fiduciam adferre possunt, magis tamen quæ metum, quam quæ fiduciam, ut habet *Arist.* 3. *Eth.* c. 9. Terribilia enim potius hominem deterrent; quæ autem fiduciam gignunt, invitant quasi, & ad se vocant: quapropter imperterritus animus in illis potissimum elucescit. Nec tamen omne terribile fortitudini subjacet, sed illud tantum, quod est secundum hominem, i. e. humanâ vi propulsabile. Opposita Fortitudini vitia sunt *Audacia*, quæ est eadem cum temeritate, & *Timiditas* sive ignavia: sicuti fortis pericula consideratè aggreditur, & cum prævia deliberatione: ita temerarius audaxq; inconsultè ac præfidenter suscipit periculosissima. Hinc *Temeritas* Fortitudini persimilis apud imperitos & caligantem multitudinem ipsa putatur Fortitudo. At *Timiditas*

miditas in defectu vitium, abest à Fortitudine longissimè: siquidem timido falsæ rerum species illudunt, ut ad quoslibet inanes sonos expavescat, & præ metu mortis periclitari, etiam in honesta occasione detrectet. Exstant autem insignia Fortitudinis exempla in Alexandro Magno, aliisque Græcorum Ducibus apud Plutarchum.

THES. XIX.

Temperantia est virtus moralis, mediocritatem servans in expetendis fugiendisque corporis voluptatibus, qua gustu & tactu percipiuntur. Arist. 3. Eth. 10. Ejus extrema sunt in excessu *Intemperantia* quæ est vitium, quo quævis tactûs gustûsq; voluptates, citra honestatis rationem, immoderate appetuntur. In defectu *Stupiditas*, vitium quo quis omnes promiscuè voluptates, etiam honestas & necessarias aspernatur.

THES. XX.

Liberalitas est mediocritas in erogandis accipiendisq; pecuniis modicis. Arist. 4. Eth. 1. Nomine autem pecuniæ veniunt omnia, quæ pecuniis æstimantur, atq; usum aliquem præstant in vita humana. Dicitur liberalitas, quod hominem deceat esse liberum, & ab animo libero non coacto proficisci debeat. Consideratur autem officium hominis liberalis secundum duas jam expositas actiones, consistens in dando & accipiendo. In dando tria sunt consideranda. *Finis* propter quem dandum est. 2. *Modus* quo dandum est. 3. *Animus* dantis. *Finis* est honestas. Liberalis enim eare debet *honestatis gratiâ*. Qui ergo alio fine vel ad ostentationem, vel ut majora consequantur munera, beneficia in alios conferunt, non sunt revera liberales. *Modum* exprimit Philosophus voce *rectè*. Idque ut fiat habenda est ratio 1. *Personarum*. 2. *Quantitatis* beneficii. 3. *Qualitatis*,

tatis 4. Temporis. 5. Loci. De Personis Arist. præcipit dandum esse non quibusvis, sed iis tantum, quibus oportet dare: hoc est qui digni sunt. Idem Cicero inculcat, *Offic. 1.* videndum esse monens, ut pro dignitate cuique tribuatur. Circa *Quantitatem* beneficiorum Arist. præcipit, dandum esse quantum oportet: ubi spectanda est *dantis facultas*, & *conditio accipientis*, Circa *qualitatem* beneficiorum, præcipitur ut ejusmodi dentur beneficia, quæ profint aliis, noceant nemini. Quod ad *tempus* attinet dicit Arist. dandum esse quando oportet hoc est tempestivè, absque procrastinatione: Nam proprium est benignitatis properare: *Seneca de Benefic.* Quò spectat vulgatum illud:

Bis dat qui citò dat, nil dat qui munera tardat.

& Auloninii Epigramma:

Si bene quid facis, facias cito. Nam cito factum

Gratum erit: ingratum gratia tarda facit.

De Loco hoc præcipitur, dandum esse ubi oportet, hoc est clam & remotis arbitris, ne beneficia ostentare velle videamur. Quod ad *animum dantis* attinet, dandum est cum quadam animi voluptate, aut sine dolore & molestia. *Extrema* liberalitatis sunt in excessu *Prodigalitas*, quæ est vitium in dando modum excedens, in accipiendo deficiens. In defectu *Avaritia*, in dando deficiens, in accipiendò modum excedens. Quod si comparatio *Prodigalitat*is & *Avarit*is instituat, deprehendetur *Prodigalitat*em minùs vitiosam esse *Avariti*am: quia 1. in hominibus faciliùs corrigitur, partim ætate, partim inopiâ, quæ plerumque sequi solet. 2. Majorem habet cum Liberalitate affinitatem: quia utraque libenter largitur. 3. Prodigus dando videtur prodesse pluribus, Avaritia verò deterior est. Sunt enim *Avari parci*, ubi parcos esse minimè convenit, dum sumptus etiam

etiam exiguos, ratione personarum, temporis & loci, maximè necessarios & decentes facere detrectant, incivilitatis que notam, etiam erga bene meritos, sibi inuri ægrè non ferunt: Sunt *tenaces* & quasi viscosi, ut, quæ honestatis causâ eroganda manibus tenent, non faciliùs, quam si visco agglutinata essent, avelli possint. Sunt *ingrati*, ut qui ne beneficiis gratiam referre teneantur, beneficium quod acceperunt se accepisse negant, vel dissimulant, vel studio obliviscuntur; de quibus tamen Seneca, *Exstat apud illos vestigium certè meritorum intra malam conscientiam conclusorum,* & vulgatum illud:

Dixeris ingratum, dixeris omne malum.

THES. XXI.

Liberalitatem excipit *Magnificentia*, quæ est *Habitus electivus, mediocritatem servans in magnis sumptibus decenter faciendis*. Differt à liberalitate, quod non extendat sese ad quasvis actiones pecuniarias, sed tantùm ad sumptuosas spectet. Quales sunt urbes, templa, Academiae, Xenodochia, statuae &c. Quomodo autem in magnis sumptibus faciendis decorum observari debeat, intelligitur ex notis Viri Magnifici, quas Philosophus exponit 4. *Ethic.* 2. Magnificus, inquit, 1. spectat in quas res sumptum convenienter facere oporteat, 2. magnos sumptus facit *honestatis gratiâ & cum voluptate*. 3. sumptus facit largiter, cogitans potiùs quomodo quàm pulcherrimum, & maximè decorum, quàm quanto sumptu fieri possit. *Ista enim accurata computatio sordida res est*, teste ipso Arist. apud quem l. c. complures alias virtutis hujus notas videre licet. *Extrema seu vitia Magnificentiae opposita duo sunt: in excessu Luxus: in defectu Sordities*. Luxus est, cum modus in sumptu fa-

ciendo exceditur: idque tum fit, cum in res parvas, aut nullius momenti, vel citò perituras, profusiones fiunt, opum tantum ostentandarum gratiâ. Hinc magnorum sumptuum indecenter prodigi dicuntur *Βάναυσοι*, quod eorum sumptus quasi in fumum abeant. *Sordities* est cum in defectu faciendorum sumptuum peccatur, dum scilicet in res magnas justo minor sumptus impenditur: itaque homo sordidus in omnibus deficit, & quicquid fecerit, cunctans spectansque quomodo expenderit, conqueritur, & omnia majora, quàm decet, se facere existimat.

THES. XXII.

Modestia est virtus servans mediocritatem in mediocribus debitisque honoribus appetendis, & indebitis aspernandis. Extrema sunt in excessu, *Ambitio*, vitium quo modicos honores magis quam oportet, & unde non oportet, & quomodo non oportet, appetimus. In defectu, *ἀφιλοτιμία* *Honoris debiti contemptus*. Quæritur hîc: An igitur per modestiam expetere liceat honores? R. Omnino: intellige 1. illos tantum quibus gerendis quis se parem & idoneum cognoscat: 2. ut debito modo petantur, non per aliorum calumnias, obrectationes aut largitiones, aut nimium avidè & immodestè: 3. finis præcipuus sit Dei gloria, Ecclesiæ ædificatio, Reip. commodum. Exemplum modestiæ præbet Willigisius primùm Imperatoris Ottonis III. Præceptor, deinde in Diœcesi Moguntina Elector, qui cum patre rhedario natus esset, ne sortis suæ humilis oblivisceretur, multis in locis rhedam depingi curavit cum hacce inscriptione: *Wiligis, Willigis, cogita unde veneris: Willigis/ Willigis/ gedencke ldatz dein Vatter ein Wagener ist / unde etiam num rota Archi Episcopatus Moguntinensi pro insigni est: citante Ittero, Dress. p. 2. Millen. 6.*

THES.

THES. XXIII.

Magnanimitas eam virtutem denominat quæ specialiter in magnis honoribus conspicitur. Quare quemadmodum Magnificencia non nisi eximiæ dignitatis hominibus est propria, sic quoque Magnanimitas non nisi ad excellentes & præclaros pertinet. Magnanimitati opponitur ab una parte *Superbia*; quæ est vitium quo quis majores honores expetit, quam quibus est dignus: *Pusillanimitas* ab adversa, vitium quo quis honoribus magnis quibus dignus est, indignum esse se reputat. Magnanimi est placidum esse & injurias sibi illatas generosâ ultione, id est contemnendo vindicare, ut rectè monent Cicero lib. 1. officior. Seneca lib. 1. de Clementia cap. 5. Quæritur an Aristotelis sententia quâ Magnanimo convenire ait, ut injurias leviores contemnat, nisi contumelia magna sit, quam merito acrius punit, pugnet cum verbis Servatoris Matth. 5. v. 44? Quod Neg. si per contumeliam magnam intelligatur talis, quâ Dei gloria, vel salus publica lædatur: vindictæ enim privatæ studium ibi Servator reprehendit.

THES. XXIV.

Mansuetudo est mediocritas in ira, secundum quam quibus oportet irascimur, & ob quæ, & quomodo, & quando, oportet. *Personis* irascendum non est, quæ per imprudentiam & sine consultâ deliberatione nos offendunt, vel quas postea delicti pœnitet. *Causæ* propter quas ratio irascendum dicitur, non nisi magnæ esse debent, atque alicujus ponderis. Cujusmodi sunt, cum Dei gloria violatur, turbatur quies publica, vel læditur famæ atque existimationis dignitas. *Modus* est, ne ira major sit quam delictum, propter quod alicui irascimur. Circa tempus observandum

ne

ne inter serias consultationes de rebus gravioribus, nec tempore lætitiæ, in conviviis vel alibi, nec nimis citò antequam res planè sit cognita, irascamur; nec diuturnas & plumbeas iras in pectore alamus. Extrema mansuetudini opposita sunt excessu, *Iracundia*: quæ est vitium quo ad iram nimis proclives irascimur, quibus non oportet, & ob quæ non oportet, & magis quam oportet, & citiùs & diutiùs. In defectu *Lentitudo*, vitium quo ob nullas, ne justissimas quidem causas, unquam ullis, ullo tempore, vel loco irascimur. Quæritur quid sentiendum de vulgato illo *Ich wilß ihm wohl vergeben / aber nimmermehr kan ichs vergessen?* &c. Indicium illud esse animi nondum reconciliati, nec reconciliationis amanti. Exemplum iracundiæ est apud Senecam *lib. 3. de Ira cap. 5.* ubi refert: Augusto Cæsare apud Vedium Pollionem cœnante, unum è servis crystallinum vas improvisè fregisse, & momento ad piscinam murænarum, quæ humanâ carne saginabantur, tractum: à Cæsare tamen misericordiâ ducto liberatum fuisse.

THES. XXV.

Sequuntur virtutes *homileticæ* ita dictæ, quod in colloquiis & conversatione communi locum habeant. Prima est *Humanitas*, etiam *comitas* & *affabilitas* dicta, estque virtus, quæ in sermonibus actionibusque quotidianis seriis eam tenet mediocritatem, quâ alter alterum officiosis dictis factisve prævenit, omne quod offendere molestumve esse possit iis quibuscum conversatur, etiam cum incommodo suo præcavere, adeoque in omnibus honestè oblectare studet. Extrema humanitati opposita sunt in excessu *Assensatio*, quando aliquis alteri citra honestatis leges ita placere studet, ut vel gratiam vel lucrum capter: In defectu est *Morositas* vitium quo quis præter modum & rectam rationem
in

in congressibus sese difficilem erga alios præbet, omnia eorum dicta & facta improbando. Quæritur? An cum humanitate consistat, libera & seria amici delinquentis admonitio & reprehensio? R. Aff. modò modestè amicus erroris admoneatur, & comiter reprehendatur, in eum finem ut ex via erroris in viam virtutis revocetur: quemadmodum enim omnis virtutis, ita & humanitatis est prodesse. Exemplum humanitatis insigne fuit Titus Vespasianus, tam suavis & humanus, ut neminem à vultu suo tristem abire sit passus, unde & amor ac deliciae generis humani dictus, teste *Suida*.

THES. XXVI.

Urbanitas est virtus, mediocritatem servans in ludis & jocis, ne quid proferatur quod turpe sit dictu vel auditu, sed quod deceat simul, & jucundum ac suave sit ei, cum quo jocularis. Dupliciter & in hac conversatione peccari potest: primò *excedendo*, vocaturque *scurrilitas*, vitium quo homines quidam nullâ habitâ, nec decoris, nec existimationis, nec temporis locive ratione, alios dictis & scommatibus laceffunt. In defectu est *Rusticitas*, vitium quo quis neque ipse honestos jocos proferre, nec aliorum jocos ferre potest. Quæritur: An jocus sit species mendacii? R. Neg. quatenus enim actus est urbanitatis, cum gratiâ & suavitate, animi lenis proferimus, absque intentione fallendi, seu contrarium ejus, quod cogitamus, alteri persuadendi. Urbanitate excellit Cicero, quod testantur libri de jocis ejus conscripti: excellere & teste Plutarcho plures Græci, & Romani Principes.

THES. XXVII.

Veraçitas est virtus, quâ in sermone, gestu, vestitu, moribus, atque ad eò totâ vitâ verum profitemur, nihil-
C
que

que involucris circumvolvimus. Veritati tam in effectu quàm in defectu opponitur *Mendacium* quod est vitium, quo aliud corde sentimus, quam ore, gestu, factisque profitemur. Dividitur autem secundùm deflexum veritatis ab utraque parte, in *Arrogantiam* & *Disimulationem*. *Arrogantia* est vitium, oppositum veritati in excessu, cùm quis majora de se ipso prædicat quam revera possidet. De hoc vitio Cic. lib. I. offic ait *Deforme est de se ipso prædicare, falsa præsertim, & cum irrisione audientium imitari militem gloriosum*. *Disimulatio* est vitium oppositum Veritati in defectu, quo quis sibi, & bonis suis, verbis factisque detrahit ac dissimulat dotes, quæ ipsi suppetunt. Quæritur: quid sentiendum de distinctione inter veritatem Logicam & Ethicam? & Celebrem esse illam apud Metaphysicos hõc sensu, Quod, qui eloquitur, quod verum esse putat, sed reipsâ falsum est, non mentiatur Ethicè: quia non pronunciat adversus mentem suam, & cum fallendi intentione: Logicè tamen mentiatur, quoniam oratio ejus non congruit cum re. Et contra mentiatur ille qui enunciat aliquid cum voluntate ac studio nocendi, quod tamen reipsâ verum est: cùm veritas ethica sit congruentia cordis & oris, veritas Logica convenientia sermonis cum re. Virtutis hujus exempla conspiciuntur in Epaminonda, Attico, & Eumene apud Cornel. Nepotem, quorum ille veritatis adeò studiosus fuisse traditur ut nec joco quidem mentiretur: hi mendacium neque unquam dixerint, neque ferre potuerint.

THES. XXVIII.

Iustitia quæ in ordine ad alios nos dirigit, à Justiniano definitur, constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi *pr. I. de I. & J.* Dividitur in universalem & particularem.

larem. *Universalis* est, quâ omnibus legibus ad societatis civilis conservationem obedientia præstatur. *Particularis* est, quæ mediocritatem servat circa rerum externarum distributionem & permutationem, quantum cuique debetur. Estque hæc duplex *Distributiva* & *Commutativa*. *Distributiva*, quæ in rebus distribuendis inter cives communibus, secundum proportionem Geometricam, suum cuique tribuit. *Commutativa*, quæ in contractibus seu commerciis hominum emendandis, secundum proportionem Arithmeticam, versatur. *Justitiæ* particulari, de quâ hîc agimus (siquidem *justitia* universalis nihil aliud est, quàm tota virtus, sive complexus omnium virtutum: & *injustitia* universalis, quàm totum vitium, cujus utriusque natura satis intelligitur ubi omnes virtutes ac vitia explicata sunt) opponitur *injustitia* particularis, uno nomine utrumque extremum in excessu & defectu exprimens. Estque *injustitia distributiva*, vitium, secundum quod bona, vel onera communia, non æqualiter, secundum proportionem Geometricam, inter eos, qui communitatis alicujus participes sunt, distribuuntur. *Injustitia commutativa* est vitium, juxta quod æqualitas in commutationibus contra proportionem Arithmeticam violatur. Quæritur: An salvâ *justitiâ* commutativâ, quis possit rem minoris emere quàm valet? R. Neg. si venditor non intelligat rei pretium, emptor verò intelligat, noveritque majus id esse, quàm à venditore æstimatur: quia venditor, quantumvis inscius, læditur, quod *justitiæ* repugnat. *Justitiæ* nomine maximè commendantur, Aristides, qui omnium Atheniensium dictus, & habitus est *justissimus*. Agesilaus, de quo Xenophon neminem unquam ullâ re ab ipso spoliatum, sed multos multis potius beneficiis ab eo affectos esse.

Fuit pars civilis Prudentia Generalis, de moribus universè sumptis agens: sequitur Specialis, ad singularia descendens, & communia societatibus, hominum gradibus ac statibus accommodans. Est autem status hic Politicus vel Oeconomicus. Politicus est, qui ad civilem societatem colendam institutus est, hinc disciplina politica est, quæ tradit modum constituendi rempublicam, & constitutam bene administrandi. Reipublicæ subjectum est civitas, materialiter & in abstractione à republica accepta, quatenus denotat congregationem civium per se spectatam, non autem formaliter, tunc enim significat eorundem ordinationem, quæ formæ rationem obtinet, proindeque idem est quod civium multitudo formâ suâ induta. Partes ejus Arist. 1. pol. c. 1. facit societates alias simplices, alias cõpositas. Simplicium societatum tres ibidem enumerat species, omnes ex natura suam trahentes ortû, Nuptialem, Herilem, & Paternam. Nuptialis definitur; Conjunctio maris & foeminae naturalis & indivisibilis, à Deo, ob sobolis procreationem, & mutuum adjutorium Arist. 1. Polit. c. 3. §. 12. In hac conjunctione ineunda l. cavendum, ne propinquitas sanguinis obstet. Sic in linea recta in infinitum prohibetur. pr. Inst. de Nupt. In linea autem collateralis, lex divina & civilis matrimonii prohibitionem, ultra gradum secundum lineam inæqualis juxta supputationem Juris Canonici non extendunt, siquidem utroque jure duorum fratrum vel sororum liberi nuptias contrahere possunt; §. 4. Inst. cod. Jus autem canonicum etiam intra quartum gradum matrimonium vult prohibitum. Quæ ut melius intelligantur observandæ sunt sequentes de supputatione utriusque juris regulæ. In supputatione juris civilis unica hæc est. Quot sunt generationes

rationes, tot sunt gradus; sive quod idem est. Quot sunt persona tot sunt gradus, stipite dempto. Jure Canonico eadem obtinet in linea recta. In linea collateralis æquali hæc: Quot gradibus uterque à communi stipite distat, tot gradibus inter se distant. In linea collateralis inæquali hæc: Quot gradibus remotior à communi stipite distat, tot gradibus inter se distant.

II. Attendendum ut adsit consensus tum contrahentium, tum parentum, in quorum sunt potestate, utpote qui omni jure naturali, divino, & humano requiritur.

THES. XXX.

Societas *herilis*, est societas inter dominum & servum naturalis, ob conservationem seu benè vivere. Subjectum huius societatis sunt dominus & servus, uterq; talis naturâ, vel lege. Naturâ dominus qui mente potest prospicere id, quod alter corpore debet facere, *Arist. 1. Polit. 2.* Lege dominus est, qui bello, cui dominari possit, acquisivit, aut bello captam certo pretio suam fecit. Sic naturâ servus, est organon animatum, rationis particeps, activum, separatum, secundum naturam non sui ipsius, sed in totum alterius *Arist. l. 1. Polit. c. 4.* Lege servus est, qui bello captus illius fit qui cepit, aut cui ille vendidit *Arist. 1. Polit. c. 6.* Societas paterna est societas inter patrem & filium naturalis & regia, non tantum ob adjumentum, sed etiam utilitatis gratiâ. Subjectum huius societatis sunt *Pater & filius.* Estque hinc *patria potestas*, quæ consistit non in jure vitæ & necis, summâ illâ atrocitate *l. 5. ff. ad L. Pomp. de parricid.* siquidem liberi dicuntur partes parentum, non tantum fictione juris civilis, sed potius naturâ & rei veritate; sed in eo 1. ut filii sui juris non sint. 2. ut pater castigandi liberos potestatem habeat, 3. ut quodcumq; acquirit filius patri acquirat. 4. de jure civili vetere fuit & potestas patria sita in abdica-

tionem liberorum h. e. in ejectione è domo & familia, in cuius locum 5. successit exhereditatio quæ juxta Nov. 115. c. 3. quatuordecim ex causis, & generalissimè propter ingratitude, si probata fuerit, fieri potest.

THES. XXI.

Ex simplicium harum societatum compositione oritur *Domus* sive *Familia*, quæ est societas ex societate nuptiali & herili prima, naturalis & monarchica, ad quotidianum usum instituta. Requiritur autem ad constitutionem societatis hujus tot personæ, quot ad constitutionem nuptialis & herilis necessariæ sunt, adeoque cum maritus etiam esse possit dominus, tres sufficere videntur. Ex pluribus deinde domibus oritur *vicus* sive *pagus*, qui est societas ex pluribus domibus prima secundum naturam, non usus quotidiani ergò *Aristot. 1. Polit. 2.* Finis hujus societatis sunt actus, qui singulis diebus necessarii non sunt, veluti mercari, pugnare, atque alia hujusmodi. Ut enim familia ob actiones quotidie necessarias instituitur, ita pagus ob actiones quæ non semper, sed quandoque necessariæ sunt; vel tempore tumultûs, vel vindemiæ vel messis. Ex quibus apparet, pagum nihil aliud esse quàm quandam propagationem domûs, aliamque constare ex illis qui sanguinis propinquitate se invicem contingunt, quos quidam collactaneos, & ejusmodi pagum gentilitium appellant, alium ex ipsis, qui ex diversis familiis oriundi.

THES. XXXII.

Tandem ex pagis oritur *civitas* quæ est perfecta societas ex pluribus pagis, omnem penè sufficientiam habens, orta vivendi & bene vivendi gratiâ, *Arist. 1. Pol. 2.* *Civis* est Aristoteli socius multitudinis, qui particeps est suffragiorum & juris de Republica statuendi *l. 3. Pol. c. 1.* Quandoquidem

quidem autem non omnium idem jus in omnibus Rebus-
publicis, quia in Aristocratia & Monarchia nequaquam
patet jus suffragiorum omnibus civibus, in solo statu popu-
lari ista æqualitas obtinet. Rectius ergò ad statum nostrum
Civis dicitur socius civitatis, qui jurium illius civitatis & im-
munitatum particeps est, *Cellar. lib. 1. c. 7.* Suntque tales vel
simpliciter, qui omnium jurium & privilegiorum sunt parti-
cipes, vel secundum quid, qui vel omnium non sunt parti-
cipes, vel saltem certo tempore non sunt capaces, ut sunt
mulieres, pueri, inquilini.

THES. XXXIII.

Materiam, quæ est civitas sine ordine concepta, atque
ab omni imperio abstracta, excipit forma; hæc est *Respu-
blica* quæ definitur: Ordo civitatis, cum aliorum magi-
stratum, tum præcipuè illius, qui summam habet pote-
statem, utilitatis gratiâ *Arist. 3. Pol. c. 6.* ordinata enim ci-
vitas etiam formam complectitur quæ est *Respublica*, un-
de & vita civitatis appellatur *Arist. 4. Polit. 1.* Hic ordo
qualis sit, & inter quos Imperantes scilicet & parentes, qui ab
una summa potestate dependent, potissima reipublicæ
pars est, ex cuius mutatione mutatur *Resp. tota*, magistra-
tus constituitur, leges feruntur, & ad quam omnia, sicut
omnis ordo requirit, tanquam ad aliquod primum, refe-
renda sunt. Sponte hinc fluit, quod illa civitas in qua non
est summa & independens potestas, nec sui iuris est, sed
superioris imperium agnoscit, non sit *Resp.* Nihil tamen
obest quominus liberæ Imperii civitates, Principatus, & E-
lectoratus analogicè quidem, veri tamen nominis *Respu-
blicæ* dici possint, cum habeant potestatem legum feren-
darum, Magistratus constituendi, judicia ordinandi, aliâque
majestatis jura, irrequisito alterius cujusque consensu.

THES.

Ab eadem potestate diversitas rerumpublicarum oritur. Quando enim hæc potestas est penes unum, oritur Monarchia, quæ est vel *Regnum*, vel *Tyrannis*, vel *Dominatus*. Quando est penes uno plures, non tamen omnes indivisim, tunc est *Aristocratia*, vel *Oligarchia*. Quando est indivisim penes multos sive univeros, est *Politia* vel *Democratia*, Quando est penes plures divisim tunc *mixta* est respublica. Patet hinc Rempublicam aliam esse *simplicem*, ubi summa potestas est vel penes unum, vel uno plures indivisim, aliam *mixtam* ubi eadem est penes uno plures divisim. *Utilitas*, quæ est finis reip. cum sit vel communis, vel privata, alia inde oritur differentia, quâ Respublica vel est, *Recta* quæ communem utilitatem intendit, cujusmodi sunt ex simplicibus *Regnum*, *Aristocratia*, & *Politia*, itemq; *mixta bona*: vel corrupta seu aberrans, ubi ad privatam tantum imperantium utilitatem gubernatio fit, cujusmodi sunt *Tyrannis*, *Oligarchia*, & *Democratia*, ut habet *Aristot. 4. Polit. 2.* quibus & est addenda *mixta mala*.

THESIS XXXV.

Regnum propriè dictum definimus juxta *Arist. 3. Pol. 7.* quod sit Respubl. ubi unus summam habet potestatem, & primariò ad communem respicit utilitatem, seu in qua unus omnium Dominus est. *Arist. 1. Rhet. 8.* Hujusmodi regnum, ut quidam ajunt, Aristotelicum, an unquam existit, vel hodièdum existat, cum in dubium à nonnullis vocetur, nos utrumq; demonstrabimus. Et primum quidè ex infallibili SS. fonte, ubi inter complura alia diserta ac luculenta, quibus summa, solutissima & nulli obnoxia potestas regia adstruitur ac stabilitur, se nobis offert divinum Oraculum Regis maximi juxta ac sapientissimi, quod exstat
Eccle-

*Ecclesiastis c. 8. v. 2. 3. 4. Ego os Regis observo, & praecepta juramenti Dei. Ne festines recedere à facie ejus, neque permanes in opere malo: quia omne quod voluerit faciet, & sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quispiam potest, Quare ita facis? Officio quidem Regio limites praefigit divina scriptura, & docet, quid bonum Regem deceat, ut Deo gratus sit, ut stabile æternumque imperium ab ipso obtineat. At ipsam Regum potestatem, & jus ipsum imperandi legibus humanis limitatum fuisse, nullibi historia sacra docet: Plura assertionis nostrae de soluta legibus humanis potestate regiâ, documenta atque exempla ex historia sacra addi hinc possent, nisi instituti ratio, & brevitatis studium aliud suaderent. Ad testimonia profana si descendamus, ejusmodi potestatem absolutam lege Regia à populo Romano in Principem translata, Ulpiano in l. 1. pr. ff. de Constit. Principum credimus, ibi: *cùm lege regia quae de Imperio ejus lata est, populus ei & in eum, omne suum Imperium & potestatem conferat.* Nec illud Ulpianus solum dixit, sed repetiit Justinianus §. 6. *Inst. de Iure Nat. Gent. & Civili.* & l. 1. §. 7. *C. de vet. jur. enucl.* idem Imp. *cùm enim lege antiquâ, quae Regia nuncupabatur, omne jus, omnisque potestas populi Romani in Imperatoriam translata sunt potestatem.* Fecit ejus mentionem quoque Dio Cassius lib. 53. ubi Augustum legibus solutum commemorat, a jens *ut ipsa latina verba sonant*, quod frustra aliò, quàm ad Legis alicujus verba refertur. Hanc legem Regiam æneis tabulis incisam, Justus Eccardus, & Curtius Pichena non solum Romæ in Capitolio se vidisse testantur, sed & eam descripserunt, iste quidem in tractatu. *de L. Regia: hic verò in notis ad lib. 4. Historiarum Taciti.* Ast quid opus veterem praesertim historiam sollicitare? Cùm vel nostra ætate luculentum hujus rei mo-*

D numen-

numentum in Daniæ Regno sese obtulerit, in Augustissimo & Gloriosissimo Rege FRIDERICO III. beatissimæ memoriæ, & adhuc hodie exstet in Augustissimo ejus Filio DN. CHRISTIANO V. Daniæ & Norvvegiæ Rege victoriosissimo, exstabitque per Dei gratiam semper & in omnævum feliciter; in AUGUSTIS EJUS POSTERIS. In Hancce Regiam Familiam, Daniæ populus, ante tria lustra summam & absolutissimam potestatem Monarchicam; soli Deo obnoxiam, nullisque humanis legibus circumscriptam contulit: ita ut hi verè sint Reges, qui post Deum in terris non agnoscunt superiorem, quorum libera potestas nullo alterius mortalis arbitrio restricta, aut vi cogente impedita, suspensa aut obnoxia, à quibus pendent omnia, quæ in ista republica sunt & fiunt, supra quos, contra quos, & absque quibus in isto regno nihil geri potest. de quo prolixius videre licet *Diar. Europæum part. 6. p. 3. & Mercur. Belgic. part. II. p. 152.*

THES. XXXVI.

Regno opponitur *Tyrannis*, quod nomen antiquis temporibus non adeò erat exosum, uti nunc est: dicebatur enim Tyrannus, qui potestate perpetuâ erat præditus, ea in civitate, quæ utebatur libertate. *Corn. Nepos in vita Miltiadis* prope finem ait, & *hic Tyrannus est appellatus, quod Chersonesi perpetuam obtinuerit potestatem.* Verùm nomen hoc contractum, postquam Tyranni crudelitate & boni publici inversione suam potestatem contaminaverunt, unde Tyranni dicuntur, qui cum sævitia imperant. Definitur autem Tyrannis, quod sit *summum & absolutum unius imperium, in similes, vel etiam meliores, nolentes tamen vel invitos, in quo omnia ad propriam Imperantis utilitatem referuntur.* Sunt autem Tyranni in triplici differentia. I. quidam

quidam sunt tales titulô, qui illegitimis artibus ad Imperium pervenerunt, alienamque majestatem vi quadam ad se pertraxerunt. 2. Quidam tales sunt exercitio, sive quoad administrationem, qui imperium legitimè acceptum crudeliter exercent. Ubi monendum non statim cum esse Tyrannum, qui rempublicam negligit, nec accuratam istius habet rationem, sed voluptati & otio deditus gubernationem publicam relinquit suis ministris: neque Tyrannus est, qui privatis vitiis deditus est, nihil tamen contra datam Reipublicæ fidem peccat. 3. Quidam sunt Tyranni titulo & exercitio simul, qui Imperium improbis artibus quæsitum, cum sævitiâ exercent, & ejusmodi Tyrannis rectè dicitur injustum imperium, quod injustissimum jugum, si aliter fieri non potest, etiam morte ipsius Tyranni excuti posse statuimus; cujusmodi fuit Abimelech *Jud. 9.* & Athalia *2. Reg. 11.* quâ de re pluribus videatur *Grotius de Jur. B. & P. lib. 1. c. 4.* Inter Regnum & Tyrannidem mediat *Dominatus*, qui non evertit subditos, ut Tyrannus, nec eorum salutem primariò intendit, ut Rex: sed ad instar domini utilitatem suam primariò, subditorum verò secundariò quærit: quia *Dominium licet re vera utile existat naturâ domino & naturâ servo, nihilominus imperat dominus suâ utilitate, pro utilitate autem servi per accidens: Non enim fieri potest ut servo deficiente servetur dominatio*, ait *Arst. 3. pol. 6.*

THES. XXXVII.

Aristocratia est Resp. in qua pauci, uno tamen plures indivisim summam habent potestatem, & ad communem respiciunt utilitatem, Cellar. lib. 2. Polit. c. 4. S. 4. Dividitur in puram & mixtam. Pura est, in qua solius virtutis habetur ratio, & in quâ cives reperiuntur absolutè & perfectè boni, atque se-

D 2

cundum

cundum normam honestatis & virtutis omnia prudenter administrantur. Hæc Aristocratia primò est optima & perfectissima, quia in ea perfectissimæ virtutis habetur ratio, & quidem dupliciter: 1. ratione Imperii, quod nulli nisi virtute prædito confertur. 2. ratione finis, qui est beatitudo civilis per continuas virtutum actiones demum extracta. In hac Republ. viri boni & cives boni non differunt, viri boni dicuntur, qui virtute morali sunt præditi, & secundum normam honestatis vitam instituunt. Cives boni dicuntur qui bonum publicum in cœtu civili promovere student, adeoque præsentem Reipublicæ statum amant. Deinde vir bonus dupliciter potest considerari. 1. absolutè & simpliciter, qualis est, qui virtute instructus est, & nullius alterius rei, quàm solius virtutis intuitu bonus habetur; ita ut virtutem non tam in habitu, quàm in usu possideat, nec ea sibi soli, sed & aliis, quibus-cum in eodem cœtu ad unum eundemque finem operatur, proficit; Et tales viros bonos Aristocratia desiderat. Deinde vir bonus est ex hypothese, qui non intuitu virtutis, quâ solus homo denominatur bonus, sed respectu alterius facultatis, quâ bonum publicum juvare potest, bonus dicitur, quæ facultas æstimatur ex officiis, quæ pro fine Reip. obtinendo præstare potest, quales viros hæc Resp. desiderat, quæ licet non simpliciter sit optima, optima tamen est, in quantum optima esse potest. *Arist. 7. Pol. 8. Mixta est, in qua partim virtutis, partim divitiarum ratio habetur.* Aristocratia differt ab *Oligarchia* in duobus. 1. *Legibus*, quæ in Aristocratia optimæ esse debent, nam impossibile est, optimum statum non optimis uti legibus: In *Oligarchia* optimæ quoque esse possunt leges, sed suo modo, hoc est quæ non sunt simpliciter optimæ, sed tales ratione statûs publici,

blici, quem conservare & propositum finem obtinere possunt. 2. Differunt *sine*, qui in Aristocratia est virtus, & sub istius intuitu, magistratus quoque defertur: Verum in Oligarchia finis sunt divitiæ, adeoque sub ratione divitiarum & censûs, aliquis vocatur ad magistratum.

THES. XXXVIII.

Politix vocabulum tribus modis accipitur. 1. generaliter, pro quâcunque formâ Reip. sive recta fuerit sive vitiosa. *Arist. 3. Polit. 4. & 4. Pol. 7.* 2. Specialiter pro illo Reip. statu; qui non est vitiosus, sive ille fuerit Regius, seu Aristocraticus, seu popularis. 3. propriè pro statu populari, prout opponitur regimini plebejo, atque hanc Reip. speciem, in qua penes populum summum est imperium, tam antiqui quàm recentiores politici vocant politiam. Unde *Politia est resp. in qua penes populum summa est potestas, in publicam totius civitatis salutem directa: ex qua definitione patet, quantopere illi aberrant, qui statuunt Democratiam non differre à Politia, cum inter utramque tantum sit discriminis, quantum inter bonum & malum: etenim qui à limine salutavit Aristotelem, deprehendet in Democratia quæri pauperum & solius promiscuè plebis utilitatem: contra in Politia æqualem omnium civium quæri salutem. Quæritur hinc, An politia possit dici Resp? Ratio dubitandi, quia ibi non est ordo Imperantium & parentium, in quo tamen ordine formalis ratio reip. consistit. Resp. Cœtus civilis in politia dupliciter potest considerari, 1. *collectivè*, quatenus omnes cives simul sumuntur, atque ita omnes simul sumpti quodammodo videntur imperate, quatenus eligunt aliquos, per quos imperium exercent. 2. *disjunctivè*, prout considerantur ut singuli, atque hoc modo quodammodo imperant, & quodammodo parent: nam illis*

D 3

quibus

quibus imperandi potestas publicè concessa est, cœteri
revera tenentur obedire, & illi qui magistratum tenent,
tenentur obedire totius populi concilio. E quibus patet
esse ordinem imperantium & parentium, & consequenter
veram Rempublicam.

THES. XXXIX.

Rempublicam mixtam dari posse quidam negant eò,
quòd jura Majestatis sunt indivisa; verùm sicuti dantur
Elementa tanquam corpora simplicia, è quibus constitui-
tur corpus mixtum, ità etiam è simplicibus rerump. formis
mixtam dari, quæ scilicet ex aliis speciebus aliquid decer-
pat, & suæ applicet, extra controversiam est. Ad rationem
quod attinet, jura quidem Majestatis esse indivisa, si inte-
gra Resp. consideretur, illa tamen non posse certis & di-
stinctis civium ordinibus committi, ut per eos exercean-
tur, hoc debet probari: sanè juribus Majestatis non obstat,
si ita per diversos civium ordines exercean-
tur; Retinetur
itaque sententia Aristotelis, qui rectè docet Respublicas
misceri posse: Ubi tamen monendum est, mixtam Remp.
hic non esse illam, quæ partim de recta, partim de corrupta
aliquid participat, & ita mediam naturam obtinet inter re-
ctam & aberrantem, 2. Nec illam, quæ modum admini-
strationis ab aliâ aliquâ simplici mutuatur. Nec 3. poli-
tiam; quamvis *Arist. 4. Pol. 8.* Politiam appellet mixtionem
ex Oligarchia & Democratia, quia summa potestas, &
omnia Majestatis jura æqualiter & indivisim non in solis
pauperibus, sed etiam reliquis nobilioribus civibus resider.
Definitur autem *Resp. mixta*, quod sit *forma Reip. composita*,
in qua summa imperandi potestas penes plures est divisim, ita
ut quidam ordines civium hæc, quidam ordines alia Majestas
sis jura exercere possint.

THES.

THES. XL.

Ne autem Resp. penitus diversæ inter se confundantur, & pro iisdem habeantur, nonnulli, inter quos Cellar. *Polit. 2. c. 1. n. 30.* Scherbius, Bodinus & alii monent distinguendum esse inter statum seu formam, & gubernationem: fieri enim posse, ut Regnum more Aristocratico, Aristocratia more Regio, Politia ad modum Regni, vel Aristocratia administraretur, ita tamen, ut Regnū maneat Regnum, nec Aristocratia aut Politia naturam & formam suam amittat, quam tamen distinctionem *Limnæus t. 1. l. p. l. 1. c. 10.* Inquit, sibi semper suspectam fuisse, nec immeritò: Ubi enim est regnum, ibi etiam gubernatio est regia, utpote quæ primò & principaliter ab ipso Rege tanquam fonte profuit. Hinc si contingat, Regem io. v. g. proceribus tradere Regni administrationem, illaque fiat nomine Regis, & ad nutum & voluntatem Regis, est & manet gubernatio Regia: Si verò Rex abdicative sine reservato jure revocandi illis concedat gubernationem autocraticam, jam non amplius est Regnum, sed mutatum, vel in Aristocratiam, si omnia Majestatis jura in illos transferantur indivisim; vel in Rempublicam mixtam, si partim concessa, partim retenta fuerint: Cùm impossibile sit ullum Majestatis jus sine reservato hoc jure posse aliis communicari, aut in alios transferri, ita ut ipsa Majestas penes communicantes, aut transferentes integra maneat. Fluit ex his, quid de statu & gubernatione Imperii nostri Romano Germanici sentiendum, in quo, cùm omnia & singula Majestatis jura nec penes solum Imperatorem, nec penes Imperatorem & statum conjunctim, verùm in illo quædam Monarchicè, in his alia Aristocraticè resideant, statum nec purè Monarchicum,

cum, nec purè Aristocraticum, ac proinde mixtum: nec gubernationem ab eo diversam esse statuimus.

THESIS XLI.

Porro Majestatis jura brevibus perlustraturi, *Majestatem* definimus esse *summam potestatem in civitate ubique*, *Arist. 3. pol. 6.* Inter ejus jura potissimum est *potestas ferendi leges*, in quibus salus consistit Reipublicæ *Arist. 1. Rhet. 4.* quod ita intelligendum, ut summus Princeps possit legem universis & singulis civibus dare liberè & sine necessario Superiorum, æqualium, aut inferiorum consensu. Dicat aliquis, posse & inferiores statuta, sive leges condere, ubi sciendum, illud non sine permisso superiorum fieri, idque exinde patet, quod suprema potestas, si leges ab inferioribus latis nolit amplius vim legum habere, utique illas poterit tollere, & vim illis omnem obligandi adimere, adeo ut nihil certius sit, quàm jus condendi leges fluere à summa potestate, & ab ejus concessione suam vim & robur consequi. Huc pertinet 1. *concessio privilegiorum*, quæ sunt veluti leges privatorum, quæ juri communi derogant, juri autem communi nemo derogare potest, nisi summus Princeps. 2. *Jus constituendi asyla*, quæ sunt loca, quæ tantum receptum, sive securitatem præbent fugientibus ad ea, ut nemini liceat eum, qui isthuc se recepit, inde abducere. 3. *Jus restituendi famam*, quo dignitas & honores, ob turpe quoddam facinus perpetratum, amissi redduntur, & in pristinum statum reducuntur. Similiter huc pertinet *jus legitimandi*, quo, rescripto quodam, summus Princeps illegitimè natus, ademptâ infamiâ, quæ ei ob inhonestas natales inhærebat, in sortem legitimarum, & honestarum cooptat. 4. *Jus remittendi pœnam delinquenti, vel ordinariam vertendi in extraordinariam*, quod vocant *jus aggratiam-*

gratiandi. §. Jus nundinarum, quo certis temporibus omnibus & cuilibet conceditur aditus ad civitatem vel alium locum publicum, merces suas afferendi & vendendi, quatum finis est liberius exercitium mercaturæ: Republicæ siquidem interest, illam promovere potius quàm impedire. Condunt autem hodie legem universalem in Imperio nostro Romano Germanico Imperator, Electores & Status reliqui unde & Recessus Imperii *Reichsabschiede* vocantur.

THES. XLII.

Alterum Jus Majestatis ponitur in *Magistratibus creandis & judiciis exercendis*: nam quia Majestas est fons omnis jurisdictionis, certè Magistratus & judiciorum exercitia ab illa trahunt originem. Hinc competit Majestati jus *extreme provocationis*, quod ita ei proprium est, ut avelli ab ea sine illius imminutione non possit. Magistratus autem constituendi potestatem in Imperio nostro unusquisque Status in suis provinciis habet. Gaudent etiam *Privilegio de non appellando*, & quidè *EL. MOGUNTINUS* illimitato, excepto casu denegatæ justitiæ, juxta contenta privilegii Imperatoris Ferdinandi III. de dato Regenspurg/den 30. Aprilis Anno 1654. Und sollen Ihre Churfürstl. Gnaden/dero Unter- Ober- und Hoffgericht nothdürfftiglich bestellen/und ein Judicium Revisorium anordnen. *Blumen Process. Cameral. Tit. 47. Tabul. I. TREVIRENSIS* limitato in causis scilicet 500. florenos Rhenenses non excedentibus, juxta contenta privilegii Imperatoris Ferdinandi I. de dato *Frankfurt am Mayn* 23. Novembr. ann 1562. *COLONIENSIS* gaudet privilegio hoc illimitato, nisi in casu denegatæ justitiæ, & ut Judicium Revisorium constituatur: concessit tamen Dominus Elector appellationes à senten-

E ciis

tiis in petitorio latis, ubi summa 1000. flor. Rhenenses in au-
 ro excedit. A REGE BOHEMIÆ ex aurea bulla Ca-
 roli Quarti Imperatoris nec appellatur, nec subditi ejus ad
 forensia judicia evocantur, quapropter peculiaris est sena-
 tus Appellationum Regni Bohemiæ, qui causas secundæ
 instantiæ dirimit, ac litium finem imponit. BAVARUS
 gaudet privilegio illimitato de non appellando, absque re-
 servato illo casu, juxta contenta privilegii Imperatoris Fer-
 dinandi III. sub dato Prag/ den 28. Augusti Anno 1638.
 cum extensione auff die Obere Pfalz. SAXONICUS
 quoque juxta contenta privilegii Ferdinandi I. Imperato-
 ris der Chur-und Fürsten des Hauses Sachsen. Dat. Aug-
 spurg 2. May Anno 1559. BRANDEBURGICUS simi-
 liter tam ex Aurea Bulla Caroli IV. Imperatoris, quam pri-
 vilegio Rudolphi II. Imperatoris, sub dato Prag den 24.
 Julii anno 1556. Notari hîc meretur differentia inter Sa-
 xonis & Brandenburgici Electorum Privilegium, quòd illud
 comprehendat die Chur-und Fürsten des Hauses Sachsen/
 hoc verò ad reliquos Brandenburgicos Principes non exten-
 datur. Palatinus itidem auf dero Chur-und Fürstenthumb
 der Unteren Pfalz und zugehörigen Landen/ vigore privile-
 gii Imperatoris Ferdinandi III, dato Prag den 17. Julii an-
 no 1852. Gaudet & moratorio auf 20. Jahr keine alte schul-
 den zubezahlen/ de dato Prag den 15. May anno 1654. Se-
 renissima Domus Hasso Castellana gaudet privilegio hoc,
 modò extenso ad summam 1000. goldgülden per Impera-
 torem Ferd. III. de dato Wienden 26. Augusti anno 1650.
 vid. Blumen, d. 1. tab. 3.

THESIS. XLIII.

Sequitur jus Belli & Pacis. Est autem Bellum, juxta
 Grotium, *status per vim certantium, quâ tales sunt.* Varia
 belli

35

belli & militiae divisio affertur à Dd. l. in togatam & armatam, quæ cum sit vocabuli æquivoci in sua æquivocata, cam hîc mittimus. Deinde bellum aliud dicitur justum, aliud injustum, justum est, quod à personis legitimis, causis de legitimis, intentione & modo legitimo geritur: Cell. pol. libr. 2. cap. 11. Ratione personarum, legitimè sibi vendicat is, penes quem est summa potestas: in Regno Rex, in Aristocratia Optimates, in Politia populus, in mixta Rep. est vel penes unum, vel plures. In Imperio Romano cum in statu Monarchico penes unum & solum Imperatorem Romanum univetsa Reipubl. potestas existeret, facultas ista sine controversia apud solum Principem residebat, L. un. C. *ut armorum usus*. Sed postquam illud in partes multas divisum, hodie in Imperio nostro Imperator bellum gerere non potest, nisi consentientibus Ordinibus, & præcipuè Electoribus, ut constat ex novissima capitulatione moderni Imperatoris Leopoldi feliciter regnantis art. 13. *Wir sollen uud wollen auch uns*. Et siquidem cum cæteris Regalibus majoribus, ex consequentia juris territorialis etiam armorum jus Statibus Imperii communicatum est, *Inst. P. art. 8. §. Gaudeant*. Illi militem defensionis causa ad propriam & aliorum salutem cogere possunt. R. l. de anno 1526. S. *darauß*. Itemque delectum agere R. l. de anno 1564. S. *ferner dieweil*. Causæ belli referri possunt 1. Ad defensionem 2. exactiõnem eius, quod nostrum est, vel nobis debetur. 3. ad pœnam, quas Hugo Grotius unâ voce injuriæ comprehendit. Defensio sui omni jure non solum hominibus, sed etiam brutis animalibus concessa. Nec tantum sui, sed etiam aliorum: Hinc Principi non tantum pro semetipso, sed etiam pro aliis bellum est suscipiendum; & quidem primum & ante omnia pro subditis: sunt enim, ut ait

Hugo Grotius, pars Reſtoris. Sic Divus Apoſtolus magiſtratum vocat Dei miniſtrum, qui tutelam ſubditis præſtare tenetur. Unde & Ariſt. Regem vocat cuſtodem Reipubl. & qui ante omnia ad commune bonum ſubditorum reſpicit: Ideo enim Reſpubl. ſunt inſtitutæ, ut omnes defendantur, & ſalvi ſint communi ope. Secunda cauſa ſuſcipiendi pro aliis bellum eſt Fœderatorum, de quibus Grotius: ſubditis proximi, imò pares ſunt, in hoc ut defendi debeant, Socii, in quorum fœdere comprehenſum id eſt, ſive in tutelam & fidem aliorum ſe ſe dederint, ſive mutua auxilia pacti ſint: pacta enim ſervare eſt præceptum iuris naturæ, & qui pacta irrita facit, is mutuam inter homines commercium tollit. Tertia pro aliis arripiendi bellum eſt amicorum, quibus quidem auxilium promiſſum non eſt, ſed tamen amicitia jure debetur, quod Grotius exemplo Lothi, & Romanorum confirmat: Amicus enim, ut Ariſt. requirit, ita erga amicum eſt affectus, ut erga ſe; eſt enim alter ipſe, & *jucundiſſimum eſt*, ut idem ait, *benefacere amicis*. Huc pertinet illud Comici: *Iſ eſt amicus, qui in re dubia rejuvat, ubi re opus eſt*. Videatur hic Cicero *lib. 1. offic.* Denique & latiffimè patens hominum inter ſe conjunctio, quæ ſola ad opem ferendam ſufficit: Benefaciamus, inquit Apoſtolus, omnibus hominibus, præſertim confortibus fidei. Juſta deinde etiam eſt belli cauſa, ſi illud, quod noſtrum eſt, aut nobis debetur, non redditur. *Debitum*, inquit Ariſt. *eſt reddendum*: & Seneca *aquiſſima vox eſt, & jus gentium præſe ferens, redde quod debes*: Pro eo conſequendo licitum eſſe bellum gerere, comprobatur porro natura juſtitia commutativa: *Par pari*, inquit Ariſt. *referendum, alioquin eſſet ſervitus*. Pro rebus etiam bellum licitè ſuſcipi conſtat inde, quod etiam ſine illis Reſpubl. ſalva eſſe non poſſit, cum
ſine

sine necessitatibus neque vivi, neque bene vivi possit. Non enim potest, aut vix potest Respubl. res præclaras gerere, si res ipsi non suppetant, multa enim efficiuntur divitiis. Justa porrò belli causa oritur ex pœna, ut ille, qui damnum dedit, non tantùm rependat illud, sed meritam insuper pœnam sustineat. Exigit enim justitia commutativa, ut inæqualitas, quæ est inter lædentes & læsum exæquetur; quod fieri non potest, nisi pœnâ inflictâ. Nam etiam si, quod per injuriam ablatum est, restituatur, super est nihilominus inæqualitas inter spoliantem & spoliatum, quæ consistit in injuria illata, & hinc jus etiam ad pœnam exigendam oritur. Modi ratione bellum justum est, quando justitiæ ratio in bello habetur, militum petulantia in direptionibus retrahatur, nec quævis delicta impunita relinquuntur. Cell. Pol. lib. 2. cap. 11. num. 17. Abstinentum proinde est à vastatione, præsertim si nil boni ad vastantem inde pervenire possit. Sic Deus prohibet Israëlitas arbores fructiferas excidere, ideo quod nil conferant ad bellum conficiendum. Ita & Maximilianus II. Es soll auch keiner kein Pflug besrauben / noch Mühlen / Backofen / und was zur gemeinen nothdurfft dienlich / es sey bey Freunden oder Feinden / ohne erlaubniß beschädigen und zerbrechen / noch kein Wein / Korn oder Meel muthwilliger weise auslauffen lassen / verderben und zu schaden bringen / bey leibes Straff. Finis belli pax est: propterea enim bellum geritur, ut in pace iterum degatur *Arist. 10. Eth. 7.* E. Cum bellum multas honestas actiones impediatur, Remp. turbet, animos civium sollicitet, decet omnia belli consilia, actiones & studia ad pacem referri, quæ sola fovet civilem beatitudinem, & optatissimum Reipublicæ statum confirmat ac ruerur.

Ad Regalia quoque spectat jus exigendi *Tributa & vectigalia*, nemo siquidem de bonis suis tenetur contribuere, nisi id cedat in commodum & utilitatem publicam: ut autem aliquid boni publici causâ exigatur, nemo imperare potest, nisi qui Reip. præsit, & bonis subditorum imperare possit. Intellexit hoc *Tacit. l. 4. Annal.* cum ait: *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tribus haberi queunt. Et Arist. 7. Polit. 8. Pecuniarum quandam copiam ad usus civiles & militares desiderari, quæ sæpè numero petenda est è tributis & vectigalibus.* Est autem *Tributum* quod ratione bonorum aut personarum, extra mercium usum penditur. Ad exactiorem hujus quinque requiruntur. 1. ut necessitas exigendi tributa populo exponatur. 2. ut observetur æqualitas, ne aliqui ex odio vel gratia opprimantur, vel sublevantur, 3. ut tributa moderatè temperentur, neque enim hic spectandum est quantum solvere quis possit, sed quantum par fuerit, secundum proportionem Geometricam. 4. Ut tributa exacta in usum Reip. erogentur. 5. Ut tributa non è quavis, turpi etiam, re, veluti ex lotio, uti fecit *Vespasianus*, vel artis meretriciæ exercitio, sed à bonis, cujusmodi sunt terræ, agri & si quæ illis continentur mineræ, Item pecora, mercatura &c. etiam summa necessitate exigente à personis, quam capitationem *Kopffgeld* vocant. *Illud tributorum vectigaliumque genus Deo gratissimum esse monet Bodinus, civitati pulcherrimum, Principi honestissimum, plebi utilissimum, quod iis rebus imponitur, quæ ad corrumpendos civium mores, quæ ad luxum, quæ ad libidinem spectant, ut aurea & argentea suppellex, odores, pigmenta, innumerabilium vestium ornamenta, colores pretiosissimi, gemma, margarita, cupedia, cæteraque generis ejusdem.*
 Uti

Uti autem Tributorum indictio, sic & vectigalium imposi-
tio juri Majestatis attribuitur, *vectigal* siquidem est onus
reale, quod ob vecturam mercium Fisco penditur: sed ne-
mo potest tale vectigal exigere, nisi & jus imperandi flumi-
nibus & viis publicis habeat, quod cum nulli nisi Majestati
competat, sequitur unicè illi hoc jus vindicari. Verùm enim
verò providere oportet pios Principes, ut hoc jure Maje-
statis circa bona civium & tributa ab illis exigenda sobriè,
cautè & moderatè utantur. Audiant ipsius Dei vocem
apud *Ezechielem cap. 45. v. 9.* sic dicit Dominus: *Sufficias*
vobis Principes Israel, violentiam & rapinas intermittite, tolli-
te depulsiones (sive nimias exactiones) vestras à populo meo.
Audiant aliam divinam vocem per Prophetam *Micham* pro-
latam *c. 3. v. 1. 2. 3.* *Audite Principes Jacobi & Duces domus Is-*
rael, qui rapitis pellem eorum ab eis, & carnem eorum ab ossibus
ipsorum: comedentes carnem populi mei, & pellem eorum desu-
per excoriantes, ossaque eorum confringentes, & concidentes,
sicut in lebetè, & quasi carnem in medio olla. Observent ad-
monitionem Regum sapientissimi *Proverb. 29. v. 4.* *Rex*
per judicium. (vel juris administrationem) stabiliet terram, at
vir exactionum destruet illam, immò & simul seipsum: cum
facile contingere possit, ut ejusmodi *Aetæon* à propriis cas-
nibus dilanletur. Boni itaque pastoris partibus fungantur
& pecus tondeant non deglubant, neque enim expedit,
aneres ita nudare pennis, ut hæc nunquam recrescere pos-
sint. Vitent fugiantque prodigalitatè, luxuriam, & non
necessariam sumptuum erogationem in res voluptuarias,
ac inutiles, ne ad tributa extraordinaria civibus imponenda
descendere cogantur, Ne aperiant aures adulatoribus,
qui novæ tributi exigendi vias monstrant, suæque potius
cupiditati quam Reip. salutis serviunt. Tributa autem indi-
cendi



cendi & vectigalia erigendi potestas in Imperio nostro Romano Germanico est penes Imperatorem & Electores, uti patet ex art. XIII. Capitulationis Ferdinandi III. ibi: auch in zugelassenen nothdürfftigen / unverzüglichen und unvermehrentlichen fällen die Steuer-Auflagen und Reichstage ohne wissen und willen der sechs Churfürsten / wie obgemeldet nicht ansehen noch aufschreiben / & art. XIX. d. Capitulat. Wie sollen und wollen ibi: nun hinführo keinen Zoll von neuem geben / noch einige alte erhöhen oder prorogiren lassen / Auch vor uns selbst keinen auffrichten / erhöhen und prorogiren / ohne besondern und zwar Collegial-Rath / wissen / willen und zulassen der gemeldten sechs Churfürsten. Quod art. XXIII. Capitul. Leopoldin. Desgleichen wollen wir ibi: mit Verwilligung des Reichs-Churfürsten repetitur.

THES. XLV.

Pertinet quoque huc *ius mittendi Legatos*, quod propriè competit Majestati, & quamvis Legatinomen ob ambiguitatem quoque aliis concedatur, præcipuè tamen non tribuitur, nisi illis, qui à Majestate mittuntur ad eos qui Majestatem habent, ita ut legatio non possit institui, nisi à summa potestate, neque ad alium dirigi, nisi & is summa potestate fuerit præditus. Unde etiam Legati distinguuntur ab ablegatis, qui Germanicè vocantur **Abgeordnete und Botschafften**. Est itaque *Legatus* mandatarius à Principe ad sui similem solenniter missus, ad publicum aliquod negotium expediendum. Requisita missionis sunt. 1. mandatum, & sufficiens ac plena instructio, quod mandatum, si definitum fuerit, strictè sequendum est, ita ut illius terminos excedere non possit. 2. literæ fidei seu creditivæ, quas vocant literas fiduciarias: fieri enim nequit ut absque his apud alium Principem inveniant fidem, ad negotia publica per-

ca pertractanda. Quot legationum sint genera vix poterit describi, variant enim pro varietate causarum, quæ postulant legationem. Deinde variant pro libitu ac arbitrio Principum mittentium: Privilegia Legatorum quæ à Gentium jure ipsis competunt sunt duo 1. Ut admittantur & audiantur Principis sui mandata exponentes, nisi urgentissimæ adsint causæ, ob quas rejici possunt, 2. Ne violentur vel in persona propria, vel in bonis & secum habentibus ministris, sed honestè tractentur & dimittantur. In Imperio nostro non solum Imperator sed & Principes & Status reliqui, cum sua territoria autocraticè regant, jus mittendi legatos habent.

THES. XLVI.

Agmen jurium Majestatis, ut & præsentem dissertationem (omissis ob temporis angustiam iis, quæ insuper de Regalibus, ut & de tertia parte *Oeconomia* dicenda forent) claudat Jus circa *Religionem & sacra*. Cum enim Reges habeant summam & universalem potestatem in omnia ea quæ eorum regnis continentur, omninò etiam in sacra æque ac profana jus iis competet, quantum nimirum illis concedit divina institutio, unde ipsorum Imperia in solidum pendent. Agnovit hoc *Arist. 7. Pol. 8.* inquitens: *Necessaria cura sunt circa rem divinam, circa rem bellicam, circa redditus publicos & impensas &c.* Dudum id suis exemplis comprobarunt Judæorum Reges: Saul Regum Israëlitarum primus magos & hariolos Regno suo excidit *1. Sam. 28. v. 9.* atque ita divinam legem executus est. *Levit. 20. v. 27. & Deut. 18. v. 11.* David arcam Domini ex ædibus Obedomi reduxit, *2. Sam. 6. v. 12.* ordinavit Levitas ante illam ministraturos, iisque certa munia demandavit. *1. Paralip.*

G

ralip.

ralip. 16. v. 4. nec non officia eorum per certas vices distribuit, c. 23. & seqq. Salomon templo Hierosolymitano magnificentissimè extructo arcam magnâ solennitate illuc deduxit, precibusq; & sacrificiis, illud dedicavit 1. Reg. 6. 7. 8. Vitandi autem hic sunt aliorum naufragio scopuli & distinguendum est in rebus sacris ac divinis, inter actus jure divino expressè mandatos aut prohibitos, & inter alios eo jure haud definitos. Circa hos extra controversiam versari summam potestatem ex jam dictis patet. Ad illos quod attinet si quicquam illis adversum Rex vel Princeps imperaverit, hujusmodi imperium civem Christianum nequaquam obligat ad obsequium, quod jure divino repugnet. Act. 5. Veruntamen & circa illos jure definitos locum habet jus Regium. Nam i. summæ potestates efficiunt ut ea quæ Deus imperat, liberè & commodè præstari possint, amotis impedimentis, datisque adminiculis. Sic Persarum Monarchæ Cyrus, Darius Nothus & Artaxerxes Memor, Judæis concesserunt facultatem Templum instaurandi, Deumque ibi colendi, additis etiam donis Regiis ad impensas sustinendas, & ministris templi immunitate donatis. Ezr. c. 1. v. 6. & 7. Deinde leges, quando non modò permittunt, sed & jubent, quod lex divina præcipit, novam obligationem superaddunt docente Paulo Rom. 13. v. 2. 3. 4. 5. Nam & apud homines pœnas luit, & apud Deum frontem non habebit, qui hoc facere noluit, quod ei per cor Regis ipsa veritas jussit. Augustin. Epist. 66. Tertiò potest summa potestas circumstantias quasdam loci, temporis & modi actionibus à Deo imperatis præscribere, ut fiant decenter & cum ordine. Huc spectant leges Imperatoriæ variæ, ut quæ Baptismi ac sacrae communionis canonem clarâ voce pronunciari jubent, ut à populo audiatur: quæ Episcopum non

per.

permittunt ordinari, nisi qui annum 35. ætatis attigerit. &c. vide *Novell. 137. c. 6. & Nov. 123. c. 13.* Quartò per summum Imperium Principum, actionibus à Deo vetitis materia & occasiones subtrahuntur. Sic Ezechias Rex amovet excelsa, frangit statuas, excidit lucum, ipsumque æneum serpentem à Mose fabricatum, cui adolebant judæi, comminuit, 2. *Reg. 18.* Quintò Regum & Principum est pœnis propositis homines ad ea adigere quæ Deus jubet, & à prohibitis absterrere. Sic Rex Nebucadnezar eum membratim discerpi, domumque ejus sterquilinum fieri mandat qui de Deo Ebræorum malè & irreverenter locutus fuerit *Dan. 3. v. 29.* Inter jura Majestatis omninò numerandum est jus *Academie instituende.* Nam illius est talia illustra collegia in regno constituere, cujus est providere ne societas ulla in Remp. irrepat, unde hujus noxa aut detrimentum merui possit, & ex adverso decernere, ut in omnibus ordinibus & collegiis omnia quæ publicè aguntur ad Dei gloriam, & civitatis universæ tranquillitatem ac salutem dirigantur. Sanè omnes Principes, saltem qui non prorsus Barbari, aut ab humanioribus literis alieni fuère, quò majorem potentiam, aut celsiorem fortunæ gradum consecuti sunt, eò magis erga literas, & literarum officinas Academias, se munificos præbuisse, atque in hoc suum munus gloriæ suæ momentum collocasse, nemo nescit, nisi qui in omni hospes est historia. Nec attinet aliunde accersere hujus rei sive testimonia sive exempla; habemus domestica omni exceptione majora, in illustri hâc nostrâ Academia Marburgensi, Condidit eam, felicissimis Imperatoris CAROLI V. auspiciis, Potentissimus Hessorum Heros PHILIPPUS MAGNANIMUS Abavus maternus gloriosæ semper memoriæ, condita magnificè, dotata quoque ab eodem

munificè, à Serenissimis Dominis SUCCESSORIBUS
 conservata amplificata & restaurata est solertissimè, splen-
 didissimè. Hujus modernam Nutriciam & patriæ Matrem
 Serenissimam nostram Principem ac Regentem clemen-
 tissimam Dominam HEDWIGEM SOPHIAM, Celsissi-
 mum itidem Nutricium ac Patriæ Patrem DN. CARO-
 LUM Principem ac Dominum nostrum Clementissimum,
 unà cum Serenissima CONJUGE, totaque Illustrissima
 FAMILIA servet & sospitet Benignus Deus, & faxit ut cum
 & sub ista, ad totius ævi terminum floreat vigeatque
 flore immarcescibili hæc nostra
 ACADEMIA.



MANTISSA JURIDICA.

I.



*Iustitia rectè definitur voluntas
 constans & perpetua, pr. Inst. de
 Just. & Jur. licet illa stabilitas in ho-
 minem non cadat.*

II.

Æquitas scripta non datur.

III.

*Servitus est contra naturam l. 32. ff. de R. l. et-
 iam secundum naturam.*

IV. *Quod*

IV.

*Quod in foris Protestantium adhibeatur in
nuptiis computatio Juris Canonici, non ar-
guit jurisdictionem.*

V.

*Adamus si hodie viveret, uxorem invenire non
posset §.1. Inst. de Nupt.*

VI.

*Triples est tutela, testamentaria, legitima &
dativa l.52. C. de Episc. & Cler.*

VII.

*Tutores testamento dati quamvis juxta pr. In-
stit. de satisdat. tut. Satisdare non cogantur,
hodie tamen cujuscunque sint generis ad
cautionem prestandam tenentur Reform.
Politen-Ordn. de anno 1548.*

VIII.

*Adolescenti invito curator non datur §.2. Inst.
de Curat.*

IX.

*Res quadam sunt communes quadam publica,
quadam universitatis, quadam nullius, ple-
raque singulorum pr. Inst. d. R. D.*



Ad

ILLUSTRISSIMUM
AC GENEROSISSIMUM
DOMINUM

DN. PHILIPPUM
ERNESTUM,

COMITEM SCHAUMBURGI,
LIPPIÆ ET STERNBERGÆ &c.
ACADEMIÆ MARPURGENSIS
II. RECTOREM MAGNI-
FICENTISSIMUM &c



Agnos magna juvant, levium nec cura
fatigat
Quotquot magnanimo sanguine
stemma trahunt.

Et refert, quales nascendi forte parentes
Contingant, quorumque æmulus esse queas.
Non aquila imbellem generat sublima columbam:
Nascuntur fortes fortibus atque bonis.
Virtutem patris lunatus fronte juvencus
Spumantique ferox ore caballus habet.

O te



O te ergo (*Illustrem* cui fors dedit æqua parentem
 Qui belli insignis laude, togæque: suis
 Natus; nec priscis virtute heroibus impar
 Magnanimâ; Aoniis necque alienus aquis:)
 Te, inquam, felicem! celsum virtutibus æquas
 Qui genus, & patriæ spem cupis esse ratam!
 Nec tanto indignum Te præbes stemmate! cuius
Grandævum patrem nec puduisse potest.
 Gloria sic tantis conatibus æqua paratur,
 Famæque victura; hæc itur ad astra viâ.
 Flos juvenum illustris, *Magni patris* inclyta pro-
 les,
 Impiger ætherei culmina scande poli.
 At nostra hæc tanto dum pulpita flore coruscant,
 Et voce illustri docta Cathedra fonat;
 Gaudiâque hæc inter, magnam mihi vindico par-
 tem,
 Lætans, quod mea non irrita cura cadit,
 Tam dulcem cui Te tribuit fors mitis Alumnum,
 Quemque Tuæ vitæ jussit adesse ducem
 Anxia *Munifici* ac *Generosi* cura parentis,
 Et procerum, patriæ sollicitudo patrum.
 Et, ne poeniteat suscepti muneris, omne
 Id genius facilis & tua vita facit.
 Perge modò Clariis pectus perfundere lymphis,
 Sicque juventutem condecorare tuam.

Cre-

Cresce Deo, patriæ, ac Magni in solatia patris,
Cujus in hunc finem plurima vota calent.
Ut porrò vitam generoso sanguine dignam
Vivere dicaris, vivere disce bene!
Summe Deus, nostris Te quæsumus annue votis
Coelitus, & monita hæc pondus habere jube!

*Ita Illustrissimo Comiti, Domino suo gra-
tiosissimo devoti animi contestandi ergo
accinere voluit*

*Illustrissima sue Magnificentia p. r. Ephorus
& servus humillimus*

GUSTAVUS GEORGIUS ab HALCKE.

22




Fc 2132


8

F

60 11

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS,





B.I.G.

Farbkarte #13

PRÆSIDE
ENTIA
ILIS,
ERNESTO,
HAUMBURGI,
TERNBERGÆ
MARPURGENSIS
CTORE

valedicturo

neata

Amplissimi
ACADEMICI,

entilationi
io fctorum

posita
Martii 1677.



CATTORUM
ADEWITZII, Acad. Typog.
OCLXXVII.

Handwritten initials